

J. K. 541, 23.

(X1877343)

II 189

DISPUTATIO INAUGURALIS THE  
RICO-PRACTICA.



# JUS POTANDI

CUM OMNIBUS SOLENNITATI-  
BUS ET CONTROVERSIIS OCCURREN-  
TIBUS SECUNDUM JUS CIVILE DISCUSSIS BRE-  
VITER ADUMBRANS

PERMISSU ET AUTHORITATE  
NOBILISSIMI ET FAMOSS. ORDIN. IN ACADEMIA DIVÆ  
POTINÆ

PRÆSIDENTE


DIONYSIO BACHO,  
SYMPOSIASTÆ SUMMO ET ANTECES-  
SORE PRÆCELLENTISSIMO

COLLEGIO HILARITATIS SYMPOS. SUIS PRÆSTANTIS-  
SIMIS PUBLICE EXPONET

BLASIUS MULTIBIBUS,  
UTRIUSQUE VINI ET CEREVISIÆ CANDIDATUS  
LONGE MERITISSIMUS  
HORIS ANTEMERIDIANIS ET POSTMERIDIANIS  
SOLITIS ET LICITIS  
RESPICIENDUM AN ET QUANTUM IN NATURA HOMINUM SIT.

L. 38. ff. de Reb. Credit.

GENOZYTHOPOLI  
AD SIGNUM OCULORUM RUBRICOLORUM  
1688.



DISPENSATIONE THEO-  
LOGICO-POLITICO

# DISPENSATIONE THEO- LOGICO-POLITICO

## AD POPULARES SUOS

**N**ON POTARE nefas, POTINNA nata benignâ  
Teutona progenies pucrro conamine sueta  
Cum POCLIS vacuare scyphos, magnosq;e cululos  
Æmula Persarum & Græcorum læta superbi  
Quid, quo iure modoque, & cur&quando bibendūm  
Inter-numqué-siet, Davus fors potet an herus?  
Quodqué siet robur POTUS: iam RITE propinat  
POTORUM PRÆSES: Tu oculis, ore imbibe & aure,  
Qua peccare datur POTU non impiger unquam,  
Qua præstare datur, sichaud defeceris unquam

**OE NOPOTA GERMANUS.**





DE  
**JURE POTANDI.**  
POS. I.



Uotidiana esse addiscenda, Lucerna illa juris Paulus. *in l. ligavi. ff. de Liberat. legat.* Cum itaque nihil, (quod sciam) sit familiarius, nihilque magis solenne, quam ipsius BACCHI sacra, & verendum, ne nobis objiciatur, quod olim Servio Mutius opponebat, *in l. Necessarium. 2. §. Servius. 43. ff. de Origine jur. Turpe esse Germano jus Conviviorum, in quo quotidiè versatur, ignorare: Non abs re esse duxi, si nonnullas observations tam Theoreticas quam Practicas in Gratiam eorum, qui aliquando animum ad forum applicare desiderant, eventilarem, quo Rudiores excitarentur & excoletentur, eruditioribus vero peritius in eam rem inquirendi ansa propinaretur.*

POS. II.

Origo hujus Dionysii Festi quin sit antiquissima Omnibus constat. Usum itidem promiscuum omnibus Gentibus communem esse, aequo notum est: Temporum tamen evolutione

A 2

nemo

nemo non Germanis propter sedulam eorum devotamque erga hoc numen religionem & culturam principatum obtulit; quam tandem pressis velut manibus, proterve adhuc præ cæteris sibi retinent & defendunt. Ad has itaque eorumque consuetudines, præsens collimabit dissertatio, quam tamen, principali-  
ter ad Praxin Academicam volo accomodatam.

### POS. III.

Hujus nominis cultus in Comensationibus & Potationibus consistit. POTATIO EST STRENUA POCULIS SUSCEPTA VELITATIO. JUS POTANDI EST, QVOD INDE RESULTAT, COMPREHENDENS RITUS ET SOLENNITATES, QVIDQUE ALTERUM ALTERI EX LEGE PRÆSTARI CONVENIAT, SUBINDICANS.

### POS. IV.

Causam primam ipsi Antiquitati adscripsi. Secundariæ sunt plurimæ præcedentes vel ex libertate ipsius Domini, cuius impensis Potationes expediuntur, vel ex quadam honestate: aliquando etiam ex necessitate.

### POS. V.

Liberalitas illa causatur vel ex sola affectione, ut si amicos invitent nullam ob aliam quam amicitia causam: Vel ex aliis circumstantiis; Sic ipsa actus constitutio, nonnunquam occasionem à studiis versandi, Bachoque indulgendi, præbet, quod fit, si nubilosæ forsitan incident pluviæ, quibus corpus ad desidiam provocatur, cui si sollicitudo accedit, facile melan- cholia contrahi potest, hoc itaque ne fiat, acutis amicis ad po-

andum

tandum aliquando devenitur. Pari ratione majori urgente solis fervore, undè corporis lassitudo provenit, Musis invigilare difficile est; Assumendum igitur aliquid liquoris, quo ista flamma restringatur, in quo dum laboratur, è re sàpius occasio bibendi nascitur. Quæri hinc potest: An expeditat diebus canicularibus studere? Matutino tempore modica quidem debet impensio esse extra periculum putamus, Pomeridianum verò tempus noxiū omnino. Videmus enim tunc temporis, canes in rabie māgi, qui tamen nullius rei cogitationi inhærent; Quod dubio procul veneranda respexit antiquitas, quæ in quibusdam Academiis & Scholis circa id tempus pomeridianas suspendit lectiones. Tabellarii quoque benè nummati expectatus adventus aliquo symposio salutandus venit? ibi in sanitatem Patris, Matris & omnium eorum, qui aureos nummos mittere solent, bibitur, reliqui non curantur.

### POS. VI.

Propter honestatem aliquando instruenda potatio studia-  
que interrumpenda, ut si amicus nos interpellat. Maxima,  
namque eset rusticitas & importuna sedulitas nolle amico per  
exigui temporis usuram vacare.

### POS. VII.

Necessitas eos potissimum stringit, qui noviter ad Acadē-  
mias accesserunt. Illi namque per Schoristas (ut vocant) aditi,  
vinum aut cerevisiam prout fert eorum crumena, ad satieta-  
tem apponere coguntur, nisi pugnos sentire malint: Quæ con-  
suetudo num rationabilis, & utrumnè quis salvâ conscientiâ  
Schoristarum consortio se aggregare possit, si queratur? Utrum-  
que de jure negamus. Incurrunt enim hæc rectè contra juris no-  
stri principia, quæ honestatem morum jubent, alterius læsio-

nem vetant : Fures & Prædones si homines exfecrantur, quis hosce laudabit ? Quorsum alias Edictum *Quod metus causa* ? Quorsum ? Interdictum *Ultrubi* ? Si non ad hosce per vim interrumpentes hospites spectent ?

### POS. VIII.

Materia est Vinum & Cerevisia : quorum utrumque est in multiplice differentia : nec dubium, si de præstantia quæras, quin vinum cerevisiae longè prævaleat. Inspecto tamen genere utroque considerato , cuiusnam bonitas præponderet , unius non est judicare, tot enim de ea sunt sententiæ , quot capita. Quod vel inde constat ; dum plurimi reperiantur, qui aquam aut lac vino etiam excellentissimo præponant. Mihi magis ab blanditur Cerevisia *Rostochiensis*, *Hamburgensis*, *Braunschweigische Mumme* / *Hannoverischer Brühahn* / *Mümlisch*, et *Brühahn*/ longè pluris æstimo vinum *Lacedæmonicum*, vel *purum Rhenanum*, ut *Klingelberger* / *Muscateller* / *Malvasier* / *Gachanacher* sc. quam omnia Francia & Hassiaca vina.

### POS. IX.

Forma potandi dignoscitur ex ipsis bibitionum modis, qui sunt totales vel partiales. Totales sunt, quando totum exhaustur : Idque fit vel continuè vel discontinuè. Continuè, quando totum uno haustu evacuatur. Idque expeditur vel floricōs vel haesticōs. Floricōs bibitur, cum os poculi labris circumclauditur, unoque impetu potus ad guttarem demittitur, cuius reflectio bullulas quasdam efflat, quas flores nostri dicunt. Haesticōs cum usitato modo totum sine respiratione extrahitur.

### POS. X.

Cujus ratione in dubium venit, si quis inchoet aliquod poculum

cūlum Floricōs ordine ebibendum, & forsan unus ē medio  
hoc præstare nequeat (*Nam non omnibus contingit adire Corin-*  
*thum*) quid sit faciendum? Nemo ad impossibile obligatur,  
C. Nemo. 6. de R. J. in 6. & sufficit ad suum modum fuisse dili-  
gentem & gnayum. l. Quod Nervaz. ff. Deposit.

## POS. XI.

Sed quid si nec Hausticōs ebibere queat? Illa est lata,  
culpa, non novisse id, quod omnes tenent. l. lat. 223. ff. de Verb.  
signific. quæ dolo comparatur, l. i. §. 2. si mensor. fals. mod. dixerit.  
l. i. §. 2. ff. si is qui testam. liber esse jussit. Ea propter excusatio-  
nem non merebitur. Bibat itaque usque dum oculi effluant.

## POS. XII.

Quid si de virium suarum tenuitate non protestetur, in-  
choetque Floricōs ebibendum, sed complementum addere non  
valeat, quid juris? Ille de novo inchoare debet, non enim af-  
fectare debuerat, cuius erat imperitus. l. item. 8. §. 1. ff. Ad l.  
Aquil.

## POS. XIII.

Quandoquidem hæc strictè observanda sunt. Numne  
virgo assidens, aliquantulum adjuvare poterit? Affirm. Quia mi-  
nima prætor non curat. l. 4. ff. de integr. Restit.

## POS. XIV.

At quid si strenuè bibat? Tum negamus, hoc namque in  
fraudem legis fieret, quæ circumventionem non patitur. l. con-  
tra. cum l. seqq. ff. de ll. Præsumtio tamen pro virgine, cum rarò  
sint Bibaces, id autem ad id quod frequentius fit, feruntur. l. ju-  
ra. 3. cum seqq. ff. de ll.

## POS. XV.

## POS. XV.

An ne idem de Anu afferendum? istud pernègamus, longos namque singultus vetulæ solet ducere, & plus æquo absu-  
mere. Desuper plurima noxa in effæto & rancido isto cor-  
pore continentur, quæ ultrò cuiquam communicationem po-  
culi disyadere debent.

## POS. XVI.

Hæc pocula vel Ordine procedunt vel Extra ordinem..  
Ordine, quando nulla transgreditur persona, sed in omnes se-  
cundum sessionum seriem poculum promovetur, hujusmodi est  
poculum, quod vocant sanitatis. Quod alicujus sanitatis com-  
precandæ stabiendæque causa, nudo capite & quidem stando à  
tota compagnia expeditur. De hoc quæri solet, An sit ratio-  
nable? Dicimus finem quidem esse bonum, intermedia autem  
non usque adeo convenientia. Nam quis nesciat quām multi  
sunt, qui hujusmodi valetudinariis poculis alterius valetudinem  
properare intendentes suam ipsius exhalent. Illos equidem in  
se ipsos injuriosos, ipsam naturam violare constans, quæ qui-  
dem aliis prodesse dictitat, sed non cum suo detimento. l. 2. §.  
2. in fin. ff. de Aqua & Aquapluv. arcend. l. 6. C. de Servit. Aq. Et  
ut loquuntur Dd. Ordinata charitas à se ipso incipit. Magnus  
namen ibique hujus est usus cum primis in aulis Principum.

## POS. XVII.

Succedit huic alia quæstio, An honestum sit, ut quis patia-  
tur præsens suam ab aliis bibi sanitatem? ita obtinet usu, ut  
quis non reputetur Politicus, qui talem sibi exhiberi patitur ho-  
norem. Imò multoties incivilitati adscribitur, si quis sine pro-  
testatione inchoari permittat sanitatem proximi cognati;

AMATO-

AMATORIBVS tamen seu MANCIPHS Veneris specialiter indultum est, ut in suarum Animularum (licet præsentium) sanitatem hujusmodi votivos haustus instillent, qui maximos in iis pruritus excitare solent, cordaque & renes penetrare: Imo tanto hoc ipso incenduntur æstu, licet poculum sit ingens valde, cuius profunditatem vacca quadrima haud valeret absorbere, illi tamen sine difficultate ēt τῷ νῦν ad ungvem usque exsugere possunt.

## POS. XIIIX.

Extra ordinem bibitur, cum ordinis ratio non attenditur, sed huc illucve poculum destinare licet. Quod vel SIMPLICITER, vel cum SINGULARI SENSU: SIMPLICITER, veluti si nihil præter ipsum bibendi actum introducat poculum, quemadmodum communiter bibi solet. Hic sa-lebrosa satis incidit quæstio, quam multi tanquam altas radices hominum attingere noluerunt:

Anis, qui Adversario suo hoc pacto propinat, iniuriam sibi factam remisisse videatur.

Agentibus assentimur: Nam cum hujusmodi propinaciones votivæ quadam salutis comprecatione perficiantur, quis neget restinctum esse animi fervorem in eo qui nobis faustissima quæque comprecatur. Eo respicit §. fin. instit. de injur. dissimulatione injuriarum actionem aboleri, ubi notant Dd. illud fieri per salutionem reciprocam, compositionem manuum, cenvivalem & familiarem conversationem. Idem tradunt prædictis modis injuriam ad animam semel revocatam tacitam remissam censeri, quod tamen communius non absolute recipitur, sed cum quadam limitatione, si id lite nondum mota fiat. Quod vos notare volo quibus publicas popinas, crebrius invi-

fitare moris est, ut sicuti vobis cum alio res sit, nolitis vel illi praebere, vel ab illo profectum suscipere, nisi ipsimet reconciliationem appetatis. Unde protestari quosdam videmus, quoties cum inimicis ipsis convivaliter conversandum sit, causæ inde nihil decedere debere, daß sie ihm auf Hofrecht eins bringen wollen.

## POS. XIX.

SINGVLAREM SENSVM præ se fert poculum, quod vocant FRATERNITATIS, moribus introductum, quo aliquis veluti initiationis ritu verbis solennibus in fratrem cooptatus: Vulgo vocant die Brüderschaft oder auf Dug trinken. Formula communis Adoptantis hæc esse solet: si non domino juvenis nimis aut inæqualis viderer, optarem cum eodem amicitiam & fraternitatem pangere. Respondet alter, bibere in nomine Domini erit id mihi per quam gratum, bibit traditque adoptando, ubi in ipso traditionis actu hæc verba consueta adhibentur. NOMEN EST MIHI N. N. FACIAM QVOD TIBI SIT ACCEPTUM, OMITTAMQVE QVOD TIBI SIT INGRATUM, OMNINO ME ITA GERAM, UT BONUM AD DECET FRATREM. Cui alter Respondet, ET IDEM EGO ERO IN OMNIBUS. Ibi postmodum non multis adjectis iusficationibus, quibus illis invicem rogationes fiunt, ut hæc fraternitas mutuis visitationibus stabiliatur. Hæc ut dixi FRATERNITAS consuetudine inducta est, quam jus civile prorsus ignorat, nullus siquidem per adoptionem illo jure FRATREM sibi querere potest. *I. nec apud. 7. C. de Hæred. Instit.* Ipsam namque naturam Adoptio imitatur §. 4. *Instit. de Adopt.* Contra autem naturam foret, fratrem ex fratre nasci.

## POS. XX.

Circa quod generaliter indagare licet: Quid de ipsa FRA-  
TER-

TERNITATE per poculum contracta statuendum sit? Eam parum firmitatis habere prudentiores arbitrantur. Et hoc est verissimum, eâdem siquidem facilitate qua colligata est, resolvi potest. *l. Nihil tam. ff. de R. J.* Quod multoties ita in facto evenit, ut qui hac hora in intimam conspirarunt FRATERNITATEM, sequente invicem pugnis exercuerint, nechoc nimirum cuiquam videatur; Effectus enim suam causam arguit, quæ qualis præcessit, talis quoque hic censetur. *l. 5. §. 1. ff. de Administr. tutor.* tam certum est nihil quicquam stabile in ipsa ebrietate reperiri, sed omnia cum impetu agi. *l. n. §. 2. ff. de pænis.* Unde alii ebrium currui sine ductore currentem compaarunt, ergo nec in ipsa amicitia per ebrietatem contracta quicquam firmi erit. Videmus nunquam amicitioris conjunctio-  
nis hinc sumi occasionem & stabili mentum & temporis tandem subjici progressu.

## POS. XXI.

Querit: AN HONESTUM SIT STUDIOSUM NOBILEM CUM STUDIOSO IGNOBILI, FRATERNITATEM BIBERE? Minimè gentium. Quandoquidem tantum abest, ut hoc Nobilitatis splendori sit dedecori, ut potius eam apprimè ornet. Sic summos videmus Monarchas literatorum ambiisse amicitias, ut quorum consiliis & eruditione instructi longè felicius imperii gubernacula tenere potuerunt. Quicquid ipsis studiosis eadem (*si non majora*) competant pri- vilegia, quæ Nobilib. *Auth. habit. C. Ne fil. pro patr.* Quicquid & ipsi (*præsertim juri incumbentes*) ad Nobilitatis fastigium adspirare valeant. *Exempl. Ulpiani in l. 7. C. de postul. l. 8. fin. ff. de Excusat. Tutor.* Quam Nobilitatem utpote virtute acquisitam multo præstantiorem esse eâ, quæ ex natalibus provenit tradunt secundum illud. **NOBILIS IS VERE EST, QVEM NOBILITAT SUA VIRTUS.**

## POS. XXII.

Unde difflit & hæc consideratio; ALIQUID NAM DECEDAT HONORI STUDIOSI SI PICEM IN FRATREM ASSUMAT? Affirmandum prima fronte videtur. Attamen contrarium in foro determinari videmus, ratione enim victus & amictus studiosus isto hominum genere carere nequit, quare fidissimè consulo his, qui hujusmodi hominum opera uti coguntur, ut rogati non denegent FRATERNITATEM; Nam hoc & in cambio & in mutuatione pecuniarum & fide habenda, si nummos in præsenti non habeas, plurimum prodest. Recitabo vobis Exemplum, quod alicui accidisse audio. FUIT ALIQVANDO MERCATOR, QVI AMBIVIT STUDIOSI CUJUSDAM FRATERNITATEM: HIC BENE ESSE DICIT, SED NON SOLERE SE QVENQVAM, QVI NON SIT SUI ORDINIS IN FRATREM ASSUMERE, NI SI DATA ALIQLVA ARRHA, SIVE RECORDATIONIS SYMBOLO: ALTER GESTIENS DE TALI OBLATO FRATRE, QVID CUPIAT QVÆRIT: CUI RESPONDET ILLE, PLACERE SIBI TIBIALIA, FILI SERICI QVÆ UT DET, IMPERAT. CONSENTIT HIC, POSTERO DIE PROMISSUM EXPLET. Videte num hæc praxis dureum os habeat. Remittendum igitur aliquid de Rigore juris, quam contra propria commoda laborandum.

## POS. XXIII.

Quid de VIRGINE censes. NUM CASTITATI QVIPPIAM DECEDET, SI CUM JUVENE HU JUSMODI FOETUS PANGAT? Illud per quam, solenne esse inter Nobiles audio: Imo aliquando etiam ad a  
209 28  
lios

fios defluere ritum illum animadverto : Dass sie auf Schwesternschaft oder herzliche Treue trinken / sed cavete, cavete inquam VIRGINES, quotquot castitatem amatis, ne prætextu FRATERNITATVM vos in sua retia pelliciant.

*Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.*

Et SORORCVLÆ titulus brevi negotio in titulum CON-CVBINÆ converti potest, quare

*Principiis obſta sero medicina paratur.*

### POS. XXIV.

Hic Hausticōs bibendi modus nonnullis aliquando circumstantiis variatur, desumptis aut ex subjecto recipientis potum vel ex bibendi discrimine, illo modo multoties ex patinis fractis carnium abdominis & juscui reliquis illitis forbentur, potiones, vel ex pileis domesticis, multoties peculiis plurimis obſitīs hauriuntur: vel ex calceis, quos non raro impurus aliquis podici filius ambedit, magnis singultibus protenso gutture extrahantur: Quidquid ex matulis cum ipsis urinæ incrementis potum sumere quibusdam placet. Suibus ædopol magis, quam ipsis studiosis hic mos conveniens, & qui hoc faciunt, non potiores sunt canibus ad vomitum redeuntibus, multisque parasangis rusticum illum antecedunt, qui regustum in via mulsum pileo exceptit, secundamque sibi & familiæ suæ mensam domum rediens existri inde fecit. Nec minus probabilis eorum procacia, qui candelas injiciunt poculis: Scriptum enim est: BIBE QVOD EST LIQUIDVM. Quid de isto dicam Iurcone, qui sex injectos in cantharum haleces falsos cum ipsa cerevissia perluere & integros deglutire potuit.

### POS. XXV.

Exclamo quoties eorum mecum agito vesaniam, qui non

contenti potu, ipsa vitra simul vorant. Expediret potius ali-  
quid belliorum à tergo vaccæ magnæ recenter excidentium  
ore excepisse illudque mandisse, sic enim & os & viscera extra  
omne arrosionis periculum posita forent; unde facile constat.  
*POSSE QVEM HUJUSMODI INSVENTOS ET  
VIOLENTOS BIBENDI MODOS ALIO QVAN-  
TUM VIS PRÆEUNTE HONESTE RECUSARE.*

## POS. XXVI.

*SED QVID SI HONORIS NOSTRI DISCRI-  
MINE ADMOVEAMUR, bey Schelmen schelten der es  
mir nicht nach thut? nec tunc quidem nos teneri autumo. Et  
enim quæ facta lædunt pietatem & incolumentem & contra bo-  
nos mores sunt, ne fieri quidem à nobis posse putandum. l. 15. ff.  
de Condit. Inst. Nec malis moribus aperienda fenestra, sed po-  
tius purganda à corruptelis provincia. l. 13. ff. princ. de off. Præs.  
Quin & quod in proprium corpus servire non liceat l. fin. §. 6.  
ff. d. bon. eor. qui ante sententiam Sc. Cum nemo sit membro-  
rum suorum dominus. l. 13. ff. Ad L. Aquil.*

## POS. XXVII.

Ipse bibendi actus variatur multifariam: Ego paucas al-  
legabo circumstantias, sic nonnullis placet ore attollere vitrum,  
Alii citerius apprehendunt labrum, ut inclinato ad terram ca-  
pite bibant: Quidam duo conjungunt pocula & simul ebibunt;  
Reliqui non in manū assumunt, sed brachio innēunt poculum,  
sunt qui ad prompte statuant vitrum, ut vinum per nasum, ve-  
luti conalem in os defluat, ubi præ cæteris hi insignem mihi præ-  
rogativam habere videntur, qui bene nasuti sunt, ita ut inferius  
in curvaturam ad modum rostri psittaci nasus abeat.

POS.

34

**POS. XXVIII.**

Sunt & alii, qui propria nomina propter gesticulationes & ceremonias adhibitas, bibitionibus reddiderint. Cujusmodi sunt **Kurss/ Murs/ Puff/** Cujus miræ sunt solennitates, vel potius phantasie: Poculum Latinum cui verba non inulla quater-nâ propinazione adhibentur. Item das **Rösslein verkauffen/ den Unbekantnen bringen/** item sine **Zuck fine Schmuck sine Barthwisch;** De quo posteriori si quis roget: An sine **Bartha-wisch** bibere quis queat, qui barbam non habet? Respond. id jure fieri non posse, Privatio non presupponit habitum, quæ sub-tilitas tamen in foro non attenditur.

**POS. XXIX.**

Hactenus de poculis totaliter & continuis hauriendis: mo-do dispiciamus de Discontinuis haustibus; Cujusmodi est poculum gratulatorium der **Wilkom/** cuius usus per quam familiaris est studiosis, si quando novum hospitem nunquam ante hac in museo visum accessisse videant, eidem cum prolixa præfatione capacissimum quod habeat poculum in argumentum, accessus longe gratissimi afferunt. **QVOD NAM RECTE**

**QVIS RECUSARE POSSIT MUL TOTIES QVAE-RITUR?** Negativa communiter obtinuit, quilibet namque Monarcha est in suo museo, ac si jus ferendi legem habet. *I. 32. ff. de II.* ubi tamen semel quis hujusmodi honoratus poculo, denuo liber alio tempore redeat, non est conveniendus, nisi Museum mutatum sit, quo facto, utpote novo acquisito territorio, novis sancionibus opus est cum hujus modi statuta sint localia, nec ul-trò prætenduntur *I. final. de jurisd.*

**POS. XXX.**

Illud agitatum saepius, **SI CUM IN PRIMO ACCE-S-**

**SU-**

SU POCULUM NON SIT OBLATUM, AN DOMINUS MUSÆI JURT OFFERENDI TACITE  
VIDEATUR RENUNCIASSE HOSPIITEM QVE  
NECESSITATE BIEENDI LIBERASSE? Certe si  
ipsa intentio & scopus hujus poculi attendatur, affirmandum  
illud plane videtur; Contrarium tamen usu invaliduit, videtur e-  
nim Dominus iusti in commodius tempus sibi reservasse, cum  
nec ea quæ sunt meræ facultatis, illo tempore præscribi pos-  
sint. l. 2. ff. de viapubl.

## POS. XXXI.

Hucusque de totalibus bibitionibus; succedunt Partiales cum non totum, sed pars tantum hauritur, puta quando duo vel plures de uno vitro participiant; Qualis est per magna illa Pompa, quam vocat das Römische Reich/cujus potentia non est exigua in prosternendis etiam viris fortissimis. Sic in inferioris Saxoniæ locis quatuor ex uno & quidem pleno vi-  
no vel cerevisia replete cantharo bibant, ita ut tres priores fel-  
mel tantum bibant, quartus vero solus totum quod reliquum est, exsiccat, quæ forma potandi vulgo nominatur *ben Fuchs schleppen.*

## POS. XXXII.

Vnum admodum singulare notate modum, cuius praxis aurea est, quam observavi in aliqua bene constituta Republica: Vidi in eadem mensa junctim sedere virgines & juvenes, ubi complicatis invicem digitis annicularibus adsumptoque inferius per utriusque manum simul peculo, junctisque vel rostris, & hic & illa biberunt, & tandem osculo ceu sigillo opposito hanc societatem obsignarunt. Optandum esset, ubique solennita- tem hanc usu valere, jurarem multo sapidiores redditos in potus: sed proh dolor! imperitorum quorundam incuria in ple-  
risque curiis prorsus intercidit.

POS.

## POS. XXXIII.

In hoc tractatu non omitto celebrem & utilem articulum:  
**QUID FACIENDUM, SI OMNES EX UNO CANTHARO BIBANT, UNIQUE INTER BIBENDUM STERNUTATIO DEVENIAT?** (Quod fieri videmus, dum aliquando ipse liquor solito meatu relicto, per narres illarum cantharum relabitur) Non iniquum arbitramur, ut ille solus totum, quod reliquum est, exhauriat, posteaque puero cantharum reluendum tradat, & sic peragatur in opere. Quamvis enim casus fortuitus nemini imputari debeat, si tamen ex præcedente culpa proveniat, praestandus venit. *l. 5. §. 7. ff. Commod.* Quod in proposito casu accidisse evidenter patet, aut enim moderatus debuisse bibisse, aut maturius evulsisse.

## POS. XXXIV.

**SED SIILLE SHAS SORDES SORBERE NOLIT DEPRECETUR HUMILIUME;** interest quidem Reipublicæ pœnas suum fortiri exitum, *l. sancimus. C. de Pœnis.* Putarem tamen ex æquitate ei hoc posse remitti, aliumque cantharum ad summum usque repletum de novo ebibendum tradi, ignoscendum ei est enim, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum vult. *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent.* maxima cum severitas legum cum aliquo benignitatis temperamento leniri debeat. *l. ii. in princ. ff. de pœn.*

## POS. XXXV.

Finis & materia *POTATIONIS*, est ipsa *INEBRIATIO*, cuius modum expeditissimum plurimi desiderant, inque eo inveniendo authores variant. Extra controversiam est, vinum citius occupare cerebrum, quam cerevisiam, quoque u-



trumque melius sit, eo validiores esse operationes, sed in eo  
vertitur cardo: *SENSIM NE BIBENDO AUT CUM  
IMPETU? ETSI HOC UTRUM MAGNIS QVIS  
URGENDUS SIT POCULIS, AN MINORIBUS  
VELVTI SVPPVNGENDVS?* De hoc sic habete: Quæ  
cum *IMPETV* fluunt, plus quidem roboris habere citiusque  
aliquid vacuum complere: si exitus inferius obturatus sit, vel  
aliquantulum angustior, eadem cum *IMPETV* resurgunt &  
affluunt quo infusa sunt, Exemplum si per infundibulum lagenæ  
superimpositum, per quod, nisi sensim cerevisiam instilles, pa-  
rum lagena capiet, sed pleraque peribunt: Qui magnis onera-  
tus vasis stante pede ebibendis repleri quidem in tantum pos-  
sunt, ut digito in os immisso possit sic serum attingere vinum,,  
verum dicto citius totum rejicitur (*cave sic ne è regione stes ni  
velis saturare litera longa*) & sic tota operatio frustranea est.  
**Contra SI MINUSCULIS POCULIS** agatur, illorum  
vim (*ut Heroum est animus*) strenuus flocci facit Practicus, illa  
quod ultrò cum voluptate promovet, donec tandem hisce il-  
lecebris ita fascinetur ut mens satis officium suum facere ne-  
queat.

**POS. XXXVI.**

Cum itaque omnes machinationes eo contendant, ut quis  
ad extremam producatur ebrietatem, varia stratagemata, quibus  
hanc mentis alienationem evitare sperant, ab hospitibus exco-  
gitantur, & cum primis vicinorum infidelitas, dum sua aliis ob-  
trudant vitra, deprehenditur. **QUOD NUM BONA  
CONSCIENTIA QVIS FACERE POSSIT, Quæro?**  
Si in contractibus naturaliter quem circumvenire licet. *l. 22. ff.*  
*Locat.* Quid causæ foret, quo minis hæc idem dicamus, præ-  
fertim cum vigilantibus jura scripta sint. *l. 24. ff. que in  
fraud.*

**POS.**

## POS. XXXVII.

Hunc finem cum assecuti sint Hospites, mirificas res tractare incipiunt, & omnia tumultuarie ibi clamoribus & jubilationibus perstrepunt, nec desunt modulationes vocum, quibus tota domus personat. Cujusmodi sunt Ich führe mich über Rhein. Günstiger viel guter Nachtbah'r/ Gott gebe euch ein guten Tag: Bonum vinum post Martinum; Wir haben ein Schiff mit Wein geladen: He sa den Bürkenmeyer vol an seinen ic. der dolle Hund: Ein Hirsch sprang aus den ic. Es fuhr es fuhr ein Bauer ins Holz: Alida/ alda mit seinem Rösslein; Das Keuzel wohl auf dem Zaune ic. Was wollen wir singen: Hänsselein mein Brüderlein/ Bachus nobiscum. Et cum suo dolio, Et quæ sunt aliæ Musicales voces. Prædictæ tamen cantilenæ conjunctis omnibus vocibus de cantantur, alias quoque promiscui suas cantiones efformare & declamare solent, quod auditu præjucundum est.

## POS. XXXVIII.

Quâ occasione placet dispicere: AN QUI IN CONVIVIO TACITUS SEDENS RELIQVORUM VOCES IMITARI NON VALET, PRÆSUMATUR EXINDE NOVUS STUDIOSUS, UTPOTE QUI NESCIAT CEREMONIAS ACADEMICAS? Neque nam etiam is qui plurimos annos in Academiis contribuit; ita se potuit literis abdidisse, ut per raro in hujusmodi sodalitia ipsi transeundi spatium reliquum fuerit: vel ut cunque aliquando interfuerit, non tamen protinus cuncta observasse potuerit:

Omnium siquidem memoriam habere,  
divinitatis non humanitatis est l. 2. §. 14.

C. de V. I. E.

C 2

Sic

Sic nec è contrario statim is præsumendus studiosus, qui omnibus hisce decantandis strenuam conjungere potestope-ram.

### POS. XXXIX.

Non infrequenter quoque sunt disputationum certamina, ipso jam cooperante vino, juxta illud.

*Cum bibo vinum loquitur mea lingua Latinum*

Et: *fæcundi calices quem non fecere disertum.*

Cum primis Novitii ferula scholastica recenter exempti, admodum sibi placent & barbam demulcent, si de Ente & non Ente, Ide Ente quidditativo, ut ejusdem notionibus primis & secundis & Affectionibus, & quæ hujus farinæ alia Mysteria, Platonica sunt, futiliter (subtiliter puto) in convivio disceptare queant, putantque hoc puto, omnium admiratione suspicionem pennalissimi declinare: Nam quis stupendam hanc eruditio- nem in trivio natam vel mussicare auderet? Sed nescio qui fiat nostri nimium oculati, Afinum sub exuvio Leonis delite- scentem sine perspicillo conspicere possunt, adeò graviter ad- vertunt. Hinc fit ut horum disputatorum paralogismi, aliquando solidissimis alapis resolvanrur. Hoc vitio non solum Phryges isti infecti, verum etiam ex ipsis studiosis nonnunquam reperire licet, qui admodum proclives sunt ad disputandum, si vel tantillum occasionis præbeatur: Ibi si ad omnes audires catervatim loquentes Papinianum, Ulpianū, Martianum, Africana- num, Julianum, & totam antiquitatem JCtorum. Nec tacent Neoterici, sed Donellum, Cujacium, Fabrum viros adesse de- jurares. Bart. Bald. Jaso pro silire jubentur. Mirum quanta con- geries II. quanta series Rationum adducatur. Sed redeundo ad quæstionem, non sine periculo est, verbis experiri yelle, ubi poculis res agenda venit: Vacuus venter bibit libenter, nec se verbis explere finit: Et quid opus est verbis, ubi rerum id est poculorum testimonia adsunt. Quæ res adeò quosdam movet,

ut

sic

3

ut si verbis vincere nequeant, verbera substituant, ut multoties  
observatum memini: Et recte quidem, quid Saul inter Pro-  
phetas. Eo etenim intenti esse debemus, ut omnia fiant decēter in  
Republica & tempestivè, siquidem non omnia omnibus & ubi-  
que convenient. Qui disputare vult, cathedram ascendat, quo  
si perventum est, multi qui aureos montes antea pollicitaban-  
tur, magis silent quam pisces. Discite itaque frānum injicere  
linguæ & os continere ubi opus est, & vosmet servate loco ma-  
gis tempestivo, non enim periculū, qui æquum sciverit, licet eru-  
ditione prorsus intumescatis, quod rumpantur ilia, aut vitan-  
tæ copiæ dentes excutiantur.

### P O S. XL.

Multi in more positum habent, ut aliquantulum inebriati  
continè rixas moveant, unde QVO REMEDIO EO-  
RUM PROCACIA RETUNTENDA SIT, plurimi  
laborarunt? Communiter obtinuit, hujusmodi homini rixoso  
primò silentium imponendum, si tacere nolit, minas esse adden-  
das, quod si nec tum linguæ petulantia compesci posset, com-  
munibus impensis bene delumbatum remittendum esse, unde  
venerit, & hic procedendi modus conveniens est juri: Malum  
namque è populo tollendum, ne latius vagetur, cum constet u-  
nam ovem scabiosam totum posse inficere gregem. Nec hæc  
verberatio cum Relegatione conjuncta, ideo cuiquam rigorosa  
videri debet, quod nullus dupli cōpœna affici debeat. l. 14. ff. de  
Offic. Præsid. Nam præmonitio duplex delictum aggravat, l. 28.  
§. 3. ff. de Pœnis, & tantum consuetudinem delinquendi contra-  
xisse præsumitur, qui admonitus non desistit. l. 3. C. de Episcop.  
Audient.

### P O S. XLI.

Plurimi bene poti excussionibus fenestrarum omnisque  
supellec̄tilis dilacerationibus & collusionibus delectatur. Quin-

imo clibanos dejectos & per fenestras ejectos accepimus.  
 Quod schoristæ in visitationibus pennalium ut plurimum atten-  
 tare solent, aliquando adhuc inclementius cum ipsis agunt  
 ipsasque Bibliothecas invadunt, spoliant aut corruptunt; unde  
 existit dubitatio non levis, AN HV JVS MO DI DA-  
 NV M PENNALI ILLATVM COMPENSANDVM  
 SIT? Schoristæ communiter tenent, quod non: Quia quod  
 ad jus studiosorum attinet, Pennales pro nullis habentur.  
*l. quod attinet. 32. ff. de Reg: Jur:* Sed velut civiliter mortui  
 dicuntur. *l. antep. d. tit:* Servienim sunt studiosorum, & iussa  
 eorumque exequi coguntur. Eodem facere, ajunt, quod Penna-  
 lis Editio Monstrosa sit, nam cum natura studiosum facere vo-  
 luit, aberraverit & Pennalem ediderit, Monstrum autem non  
 pro homine. *l. 14. de stat: homin.* *l. ostentum 38. de V. S.* &  
*l. 3. C. de posth. hered. instit.* nedum pro studio habeatur. Præ-  
 terea hanc castigationem non malo animo, sed emendationis  
 & instructiones gratia fieri dictant, quæ jure non improben-  
 tur. *Tot. tit. de Emend. Propinq.* Studiosi enim sunt veluti ma-  
 gisti Pennalium, in quos interdum eos esse oporteat, ut mo-  
 res Academicos addiscant. Ea propter si vel oculus Pennali  
 excutiatur, injuriandi animo id non fieri præsumitur, sed animo  
 disciplinandi. *l. 5. §. fin. ff. Ad leg. Aquil.* *l. 18. §. 2. ff. de pæn.* Qui  
 textus quamvis in eo illis obstat videatur, quod in fine subji-  
 ciatur: Aquilam locum habere in promptu habent responsi-  
 onem, loqui illam de illis discipulis, qui sunt tractabiles, quod  
 scil. hujusmodi violenta remedia, in eorum instructione non  
 sint assumenda. At cum Pennalis sit duræ & pertinacis cer-  
 vicias, duriore quoque cuneo opus esse & non peccineat, sed  
 strigilem esse adhibendam. Verum utcunque hæc speciosè ita  
 dicantur, contrarium tamen in puncto juris verius est, nec dif-  
 ficile esset nisi brevitatis studium aliud svaderet, ad allata fun-  
 damenta respondere. Tota autē quæstio inde decisionem capere  
 posse videtur, ut constat AN PENNALIS GAUDEAT  
 PRI-

PRIVILEGIO STUDIOSORUM? Quod superius quidem negatur, à Dd. tamen communī calculo in Autb. Habita. C. Ne filius pro patre. affirmatur; Nulla siquidem distinctio in d. Authent. adhibetur. Ergo nec nostrum erit eam textui ad fingere. l. de pretio. ff. de publ. in rem act.l.i. §.i. ff. de Legat. præst. Sed potius ratio, quā movetur, imperat, æquè in illis, qui noviter ad Academias adspirant, quam reliquis, qui canitiem in Aca demiis contraxerunt, convenit, quare igitur eos in dispositione juris hujus excludemus atque l. 32. Ad leg. Aquil. Et hoc quidem interim verum esse ajunt, ut etiam ad eum, qui primum ad Academiam proficiscitur, licet eam non attigerit d. Authent. porrigendam statuant; Imò quod magis est, alii in Gymnasiis Cæsar. privilegiis non donati, delitescentibus hæc privilegia attribuunt. Utut sit, sive d. Authent. eos comprehendat, sive non, hujusmodi damnum datum repetendum est ex juris communis dispositione, quam si quis ad Pennales pertinere neget, næ is album à nigro distare negabit. Sed hæc est communis Theorica. In Praxi quidem miseri isti PENNALES (ut est genus hominum) frendere dentium & minis facile absterrentur, ne jus suum prosequantur, qui si tamen rem ad magistratum deferri ausi fuerint, non impunita abit hæc Schoristarum violentia.

## POS. XLII.

Mirum est in tanto ebrietatis gurgite omnem extinguere rationis & memoriae usum, nihilominus sanas cogitationes suscipi posse, quod tamen à nostris religiosissimè fieri videmus, dum non immemores tractationes oblatæ ipsos bolos & potus eructant & hospiti vice compensationis reddunt. Dubitari itaque possit. AN HÆC REGESTIO IN MULTORUM PRÆSENTIA FACTA ALIQUAM TURPITUDINEM SAPIAT? Communis opinio est, quod non; Illud siquidem sit consequens necessarium, quod provi-

deri

## POS. XLVII.

Quoniam superius in Virgines incidimus, memoranda hic tractanda venit quæstio: SATIS NE TUTUM SIT VIRGINES INTERESSE HUJUSMODI CONVERSATIONIBUS? Ædepol quia tunc incertarum solemus esse manum, ejusque sursum versum in omnes angulos inserere in more habeamus, & frequenter tanquam oves erramus, præser-tim si lumina (*quid contingere in proclivi est*) intercidant, sva-derem ne nimium fiderent, latet enim anguis in herba, quæ si cuspidem alicui figat, venenum exspuit immedicabile, quo sumpto adeo intumescunt puellæ, ut nullum emplastrum, licet vim habeat maximè attrahentem, tumorem istum extrahere va-leat (non loquor de illis qui passavicam tenent artem, seque-contraria omnes Ictus præmunire norunt) cogitent quoque opti-mæ istæ Galatheæ, quam periculosa res sit virginitas, cum eam osculo delambi tradunt. *Dd. ad l. 16. C. de Donat. ant. Nupt.* per textum illum perpendant, insuper & accuratius aliquando examinent durissimum illud Pontificis præsagium, *in C. si Pau-lus. 32. q. 5.* Ne DEUM quidem corruptam virginem resusci-tare posse: A quo non procul abest, *Imper. in l. unic. C. de Rapt. Virgin.* Quæ singula non sine gravi consilio quibusdam in-mentem venisse suspicor, quæ cum mordicus se suamque salu-tem defendere voluerunt, indignantes in hasce eupisse inve-tivas & defensivas voces perhibentur, sine me indefensam.. Manum de Tabula, desine quod quæris, non in venies Domine, quot sunt venti, vel ut Neotericæ, Hui eone aspiras? Bey leibe nicht/ Ach wie kommt er mir doch vor/ höret auf/ lasset es bleiben/ ieht oder noch ehe/ ist der Herr auch hönisch/ diese Woche nicht/ meinet ihr daß ich eine Hure bin/ vor wen sehet ihr mich an/ lasset mich gehen/ & quæ sunt hujusmodi indignandi formulæ alia.

Oportunè, hic Quær. AN IS, QVI HOC FACTO  
MANUM IN VIRGINIS SINUM VOLUIT IM-MIT-

MITTERE, INJURIARUM POSSIT CONVENIIRI? Evidem si nuda appellatio id est blanda solum oratione pudicitiam ademptare, injuriam infert, ut infert l. 13. §. 19. 20. 22. ff. de *injur.* quis negabit, si quis ad rem velit progredi injuriarum nasci actionem? Domus nostra per vim introita. l. 23. ff. d. tit. aut effracta. l. 53. in princ. ff. de *furt.* Gravissimæ & atrocissimæ injuriæ exemplarēt: Tunc ipsius virginitatis violatis repagulis nihil injuriosum committi adseres: Fores & fenestræ restaurari possunt, sed hæc claustra semel illita, nulla arte fabrili refici possunt. d. l. unic. C. de *Rapt. Virg.*

### POS. XLVII.

AT QVID SI VIDERIT ALIUM, CUI FAS NON FUERAT SUBMITTENTEM MANVM, CVI VIRGO INDIGNATA NON FVIT IPSE. QUE IDEM ATTENTET, NVM INJURIARVM ACTIO LOCVM HABEBIT? Hanc quæstionem non expresse reperio decisam, aliquid tamen, si licet conjecturare. dicerem: dissimulatum prius factum in jure sumi præsumptionem inferre pudicitia læsæ, & sic locum non esse persecutioni injuriarum, idque ex mente JCti in l. 15. §. 15. si quis virg. ff. de *injur.* Vbi si quis virginem ex meretricio habitu indutam appetet, eum non peccare dicitur; Quod si habitus aliquam suspectam faciat (quam dicunt Dd. rationem ibi fuisse, quod ex pennis cognoscitur avis) quanto magis ipsa morum lascivia aliquam libidinis arguet.

### POS. XLVIII.

Prædicta austeras in aliquibus non reperitur, sed se aliquantulum tractabiliores præbent, quod si nostri olfaciunt duo simul, si non plures manus ad tabulam admovere non erubescunt,

scunt, unde illud quandoquidem auditur: Ehem hiccine con-  
venimus? Adeò semper istæ simplices puellæ suas sentiunt ve-  
xationes.

### POS. XLIX.

At quid mirum virginibus hæc usu venire inter pocula, cum  
ne ancillis quidem tunc temporis satis cautum esse praxis de-  
monstret. Constat enim quosdam bene potos post ancillas se-  
fæse in cellas præcipitasse, requiemque quæsivisse, aliquando quo-  
que eandem invenisse: Imò in ipsas vetulas quosdam irruisse,  
eosdemque mordicus delambisse usus monstrat. Quod si fu-  
ligo coquæ, si rugæ vetulæ ab hoc furore juvenes avertere ne-  
queant, quis virgines tanquam venustiores forma extra omnem  
periculi aleam positas fidejubebit? Cum alias natura appetat  
optimas, semperque deproperet edere novas formas. 12. F. F. 24.  
§. 2. Qui instinctus esse incorrigibilis. 8. sed naturalia. n. Instit.  
de Jur. Nat. Gent. & Civil.

### POS. L.

Desuper & hoc Virgines ab hac conversatione deterrei  
debet, quod si forsitan aliquid furiosi patientur, eo nomine actio  
tamen nulla jure prodita sit. Scriptum namque est, qui amat  
periculum, in illo peribit, & damnum quod quis sua culpâ sen-  
tit, non videtur sentire. l. quod quis 103. ff. de Reg. Jur. Cui acce-  
dit & hoc, quod omne maleficium ex affectu delinquendi me-  
tiatur. l. 53. in princ. ff. de furt. At Ebrius nullum delinquendi  
affectum habere queat, cum impetu ad delinquendum impel-  
latur. l. n. §. 2. de pæn. Indeque furioso comparatur. l. unic. C. si  
quis imper. maledix. qui ex delicto non punitur. l. 14. de Offic.  
Præfid.

### POS. LI.

Vlterius dispicere placet, posit: VIRGINEM SO-  
LAM

EAM CEV. NOCTVAM INTER CORNICES  
INTERESSE CONGREGATIONI ALIQVOT  
JVVENVM (quod alias satis periculosum, cum communio  
discordias excitet. l. 77. §. 20. ff. de leg. 2. quod singuli in eam  
invitare, primasque teneri satagunt,) CUI SIT AD LA-  
TUS PONENDA? Arbitramur quandoquidem senectus  
veneranda est, l. 5. princ. ff. de jur. immunit. Ac propter hoc  
SENIOR JUNIORI præfertur l. fin. ff. de fid. Instrum. Meri-  
tò & hoc loco eum prærogativa quādam gaudere.

## POS. LII.

At quid si VIRGO JUNIORI POTIUS FA-  
VEAT & NONNULLIS NOTIS, (puta oculorum ni-  
etu, calcatione pedum, compressione manuum, prout facere  
solent) AVT ALIIS JUDICIES SVVM AFFE-  
CTVM EXPRIMAT? Ne sic quidem juniori fas esse se-  
niorem cedere existim; Hoc siquidem est juris publici, cui  
privatorum pacta & conventiones derogari non possunt jus pu-  
blicum. l. 38. ff. de Pact. Sed omne quod in fraudem ejus tenta-  
tur in vanum est. l. 5. C. de legib.

## POS. LIII.

Verum SI QVIS EX JUNIORIBUS INAMORA-  
TUS SIT ERGA VIRGINEM? Dist. An inamoratio  
sit vulgaris aut matrimonialis, ut hoc casu propter favorem ma-  
trimonii, quod ipsam immortalitatem generi humano artificio-  
sè videtur introducere. N. 22. princip. Proximus juxta virginem  
sit statuendus. Et hoc propter vitandam zelotypiam, quæ fa-  
cile fundatum & ortum suum capere potest, si A MASTA  
nostra alteri adjungatur, qui ei ad blandiatur, cumque ea ludat  
& jocetur: Illo vero casu nihil relaxandum est de jure scripto,

nolente volente quantumvis virgine. Nec hoc iniquum est, cum potuit Virgo abire, & postmodum illum, quem amat secreto ad se vocare, illumque ad satietatem, usque delambere, imò ulterius quoque progredi ei integrum est.

## POS. LIV.

Sed quid, *SI OMNES SINT EJUSDEM ÆTATIS?* Sorte rem dirimendam esse censemus, quæ omnium altercationum finis esse solet *i.s. princ. C. commun. delegat. S. optionis 23. Instit. delegat.*

## POS LV.

Festivum hūc referre lubet dubium : *UTRUM NE STUDIOSUS POST FORNACEM VEL IN ANGULO ALIQUO CUM VIRGINE TACITUS STANS, PRÆSUMATUR REM ILLICITAM AGE?* Negat. Clericus enim amplectens Virginem benedicendi animo hoc facere putatur. *Gloss. in c. absit. 14. quest. 3. per C. Scripturis, dist. 96.* Sed dixerunt alii non præsumi eos orare pater noster. Quare à tali benedictione libera nos Domine.

## POS. LVI.

Finaliter & hoc adjicere visum est. *QVANDO QVI DEM PLURIMOS INTER IPSA POCULA ADMODUM IN SOMNUM PROCLIVES ESSE COMPERICIMUR, SIT NE CONSULTUM, UT DOMINUS HOC IIS INDVLGEAT EOS QVE APVD SE PERNOCARI FACIAT:* Dissyadeo totus ni sequente die convivium velit renovatum. Nemo enim facile tam incivilis est, qui surgente sole nihil aromatis aut aquæ destillatitiae

vel

D

vel aliud quippiam Jentaculi, stomachi difficultatem propellendi causa hospitibus suis offeret. Quinimò ipsi sèpiuscule hospites dominum ante vertunt, optantes vel unicam halecis falsi particulam, aut farciminis tosti ulnam unam atque alteram suspirantes, simileve quid oblectamenti digito crepantes, alii intractabilem fingunt sitim, quæ linguam ori adhærere faciat? Quærunt itaque sollicitè, nihil ne hesternæ potionis sit reliquum? Illud qualecunque sit, sibi porrigi prius expetunt, quam ut longius ejusmodi siti torqueantur: Quid faciet Dominus? Pudor admonet aliquid largiri, ni Demeæ Terentiani ténacitatem sibi objici velit, quod si faciat nullis machinis toto illo die eos à se poterit dimovere, sed laudant liberalitatem domini & bonitatem potus mirantur dejerantes, se nunquam credidisse post tantā crapulam tam bellè omnia stomacho conventiona, Quare hortantur invicem, ut strenuam navent operam ac sub honoris amittendi periculo bey Schelin schelten/ se invicem constringunt, né quis primus abeat. Et sic & hæc lux transit non sine crumenæ insigni jaætura, Cayete itaque cau- tius mercari. l. 2. C. de Furt.

## POS. LVII.

*ROGES, QVID POSTERO DIE BACCHI SO-  
LENNIBVS PERACTIS NOSTRI, FACIANT?  
Quisve ejus fit animus, stertunt in multum diem postea ex-  
pergefæcti caput dolet, estque turpidum, grave & ad quælibet  
ineptum, oculi sunt cavi, rubicundi & velut nebula obducti.  
Os est impurum, atque sordidum, obsitumque circumcirca bu-  
cellis pridianum vomitum redolentit us. Vestes sunt lacera-  
tæ & sordibus conspurcatæ undique, non aliter atque fus per  
obscenissimas fæse volutasset paludes. Recubantes ita in lecto  
per horæ dimidium aut amplius aliquid ruminant pridris actæ  
diei, si habeant cum quo colloquantur, revocant sibi uterque  
ad*

est, quam naturalis omnium hominum cognatio. l. 3.  
ff. de just. & jur. (de qua Cicer. in Offic. graviter dis-  
serit.) Cochleationem talem ex misericordia potius & opere  
charitatis, quam ex singulari & ardenti amore proficisci. Cum  
nihil sit amoris furore vehementius, quam retinere perfectæ est  
philosophiæ momentis etiam & insilientem atque inhærentem  
concupiscentiam refrenantis, ut inquit Imperat. Just. Novell. 74.  
cap. 4.

II.

AN VIRGO, QVÆ EX VEHEMEN-  
TI AMORE CAPTA AMANTI CO-  
PIAM SUI FACIT, MERETRIX,  
TURPIS AUT INFAMIS SIT  
ET PECCET?

Neganti Menochio jCto Eminentissimo lib. 2. Arbitr. J. Q. Cas.  
328. num. 3. subscribimus. Meretrix enim ista dicitur, quæ quæ-  
stum meretur. l. Athletas. §. Ait Prætor. ff. de his qui not. infam.  
l. palam. §. non est. ff. de R. N. quæ multorum libidini patet, dist.  
34. c. 36. vidua it. quibus publicè venalis est turpitudo. cap.  
meretrices. 32. q. 4. At nostra virgo non meretur quæstum, sed  
amoris vi, quæ igni etiam fortior, coacta uni soli amanti, copi-  
am facit; Quæ autem coacta se prostituit, meretrix non est.  
Sed inviolatæ existimationis. l. fœdis. 20. C. Ad L. Jul. de Adulter.  
Qui superiori mandato obedivit, culpa caret. l. 15. damnūm. 169.  
ff. de Reg. Jur. At amore capta, est amoris sui serva: ita enim  
inquit Propert. Libertas quoniam nulli amanti jam restat, nul-  
lus liber erit, si quis amare velit, deinde probatur ex dict. Nov.  
74. cap. 4. Amorem esse furoris speciem. Quod & Plato in Phæd.  
confirmat. At furiosus non delinquit. l. 12. ff. ad L. Cornel. de  
Sic-

*Sicar.* Ergo nec virgo, quæ amore capta, furiosa est. *dict. Nov.* 74. *cap. 4.* Denique accedit, quod concubinatus jure civili sit licitus. *tot. tit. ff. de Concub.* ex qua coniunctione nascitur filius naturalis, qui per subsequens matrimonium legitimatus à reliquis justis filiis non differt, & easdem cum iis successiones habet. *Novell. 89. cap. 8.* In tantum ut etiam in feudis succedat. *Gail. lib. 2. Observ. 145.* At vulgo quæsitis, qui spurius dicitur, infamis est, nec mater præsertim illustris ad successionem ejus admittitur. *l. 5. C. Ad SCt. Orfic.* Concludendum igitur cum Imperat. Justin. multa beneficia mulieribus propter sexus infirmitatem & consilii incertitudinem concessit. *argum. prædict. jurium.* Hoc in casu infamiam mulierem non comitari: Beneficia enim Imperat. quæ à divina scil. ejus indulgentia proficiuntur, quam plenissimè interpretari debemus.

*l. 3. ff. de Constit. Imperat.*

F I N I S.



AK77K 233b

*Udo*



